

71  
*THESES THEOLOGICAE,*

**EX OMNIBVS**  
**D. THOMÆ PARTIBVS,**  
IN ACADEMIA INGOLSTADIEN-  
si, ad publicam disputationem, Anno  
M. DC. VIII. die Iunij  
propositæ.

RESPONDENTE,

**CHRISTOPHORO BRAN-**  
**DIS SOCIETATIS IESV, S.S.**  
*THEOLOGIAE STUDIO.*





INGOLSTADII,

Ex Typographeo Ederiano, apud Andream  
Angermarium.

---

ANNO DOMINI, M. DC. VIII.





EX PRIMA PARTE,  
T H E S I S I.

**T**heologiae Habitus est ad salutem in Ecclesia necessarius, certus, supernaturalis, in eundem, vnus vnitate ordinis, simul practicus, & speculatiuus formaliter, respectu diuersarum conclusionum, quas euidenter ex principijs Fidei, de Deo vt cognoscibili per Reuelationem diuinam, tanquam de suo subiecto Attributionis proprio, mediante discursu deducit.

<sup>2.</sup> Principia Theologiae continentur in Traditionibus Ecclesiae, & S. Scriptura, ex cuius solo sensu literali ordinariè efficax sumitur argumentum. Potest autem in vno loco sensus literalis esse multiplex: estque vel figuratus, vt in metaphoris, vel proprius, vt in puris similitudinibus. &c.

<sup>3.</sup> Deum esse, nobis non est per se notum. Habet Deus formaliter omnes perfectiones simpliciter simplices, reliquas eminenter solum. Ipsius omnipotentia, scientia, & decreta nullam inuicem habitudinem dicunt ad creaturas factas vel factibiles. Creatura visio clara Dei, sola & omnia quae in Deo formaliter insunt, repraesentat, nullam creaturam, ne possibilem quidem.

<sup>4.</sup> Speciem Dei impressam, Deus, vt clarè videatur, nulli dedit: possit tamen expressam verò sui imaginem Beatorum intellectui inhærentem, simul cum lumine gloriae, ad intuitiuam visionem effectiuè concurrente, singulis illorum donat. Perfectio, inaequalitas, incrementum, remissio clarae Dei visionis non ex intellectu perfectione, vel inaequalitate, sed ex luminum paritate, vel imparitate mensuranda est.

<sup>5.</sup> Deus per suam scientiam videt directè & immediatè omnia extra se, non solum positua, absoluta, actu existentia, necessaria, sed etiam purè negatiua, conditionata, possibilis, contingentia futura.

<sup>6.</sup> Ideæ diuinæ rerum, sunt ipsa practica Dei cognitio. Nullum decretum Dei praedeterminat voluntatem humanam in actibus liberis: nec vllum eius certum de quibuscunque euentibus iudicium obesse potest libertati arbitrij nostri.

<sup>7.</sup> Adulorum praedestinatorum electionem ad gloriam praecedit nostrorum bonorum operum in Deo praescientia; praedestinationem verò non praecedit meritum seu de condigno, seu de congruo. Initium sumir praedestinatio à gratuita vocatione. Reprobata gloria Deus neminem, non prauiuso reprobati malo merito. Praedestinatio, & reprobatio infallibiles sunt, arbitrium autem non necessitant, sed qui praedestinatatus est, liberè salutem, & qui reprobatus, damnationem suam liberè operatur.

8.

Processionum diuinarum principia sunt intellectus & voluntas, rationales; Termini Filiatio, & Spiratio passiuæ. Relationes tres personales veræ perfectiones simpliciter simplices, realiter inter se, à Deitate, ratione nostra tantum distinguuntur.

9.

Spiratio actiua identificatur cum Paternitate, & Filiatione. In diuinis est sola originis prioritas, non rationis, aut temporis. Si Spiritus S. procederet à solo patre, an futura esset inter Spiritum S. & Filium, personalis differentia, problema est. Licet sint duæ personæ spirantes, vnicum tamen spiratorem Fides admittit.

10.

Verbum in diuinis propriè sumitur personaliter, non essentialiter, dicit respectum rationis ad creaturas, non ex proprietate vocis, sed per appropriationem; quomodo etiam Pater & Filius se Spiritu S. diligere dicuntur, non autem propriè. Personæ nostro modo intelligendi, æque propriè & principaliter distinguuntur per originis actiuas, & passiuas, atque per Relationes.

## EX PRIMA SECUNDÆ.

11.

**N**ullus actus humanus est propter finem propriè dictum, præter intentionem, mediosque inter hanc & Fruitionem, actus. Vltimus operantis finis formalis est vnus tantum, summa nempe Beatitudo, cuius essentia completè consistit in vitali summi boni possessione ne per visionem intellectus Deum clarè, & æquè principaliter, vt Trinus est, ac vt vnus, intuentis.

12.

Ex hac visione tres quasi fructus necessariò promanant, dilectio Dei, delectatio de Deo viso, & impeccabilitas simpliciter, seu vt vocant, antecedens: Hæc quidem per potentiam absolutam, inseparabilis à visione, priores duæ, separabiles.

13.

Omne & solum opus seu libere seu necessario, seu directè seu indirectè procedens ex principio intrinseco, præuia cognitione iudicatiua, est voluntarium perfectū. Ad voluntarium propriè dictum, necessaria nõ est alia cognitio, quàm apprehensiuæ. Externi euentus lege non prohibiti, ad omissionem voluntariam sequentes, non sunt, ne indirectè quidem voluntarij omittenti.

14.

Ignorantia Antecedens, & violentia causant inuoluntarium simpliciter. Opus ex metu factum, regulariter est inuoluntarium secundum quid, simpliciter autem voluntarium. Ex ignorantia consequente, & concupiscentia sequitur voluntarium simpliciter.

15.

Regula immediatè dirigens actiones morales honestas, est conscientia practica recta, quæ non aliud est, quam iudicium prudentiæ rectum de operibus moralibus in particulari. Conscientiæ vincibiliter erranti & obsequi, & contradicere, peccatum est.

16.

Cum triplex sit dubium, Iuris, facti, & operis faciendi, in solo ultimo tutor semper pars eligenda ex praecepto. Ex opinionibus probabilibus, minus probabilem sequi licet, in quacunque materia.

17.

Actionibus voluntarijs internis moralitas non est essentialis, sed coincidit cum actionis libertate actuali, quæ extrinseca est actui denominatio. Bonitas porro & malitia sunt multis actionibus internis differentiae essentialis, quæ formaliter consistunt in conformitate, & difformitate actionis cum natura rationali, vel etiam cum dictamine rectæ rationis: sumuntur ab integro obiecto operis: non augentur perse loquendo, sola longiore mora actionis indivisibilis, nec actu externo superaddito.

18.

Peccatum Actuale formaliter consistit in malitia morali contraria legi: non habet autorem Deum; potest committi absque Iudicij errore omni etiam practico, aut vlla intellectus inconsideratione, non verò absque omni iudicio rationis superioris.

19.

Peccata commissionis & omissionis contra eandem specie virtutem, differunt specie: puræ omissionis nec datur, nec dari potest. Nulla commissio aut omisso externa, absente interno libero pravo voluntatis actu, est peccatum propriè. Delectatio morosa de omni opere Iure naturali prohibito, peccatum est, de prohibitis sola lege positiva, non semper.

20.

Gratia per Christum actualis, est supernaturalis quædam operatio intellectus vel voluntaris, à Deo profecta: quæ si consensum præcedat, dicitur operans, excitans; si cum consensu libero fiat, dicitur cooperans, comitans, adiuuans. Porro operans alia est sufficiens, cum qua potest homo conuerti, alia efficax, cum qua homo infallibiliter, sed liberè conuerteretur. Absque reuelatione, nemo certus est, se esse in gratia Dei.

## EX SECVNDA SECVNDÆ.

21.

**F**ides spectat primam veritatem in essendo, quatenus est obscure reuelata ab eadem prima veritate in dicendo. Falsum nec fide diuina credi, nec ab Ecclesia credendum proponi, nec absolute credibilius vero reddi potest.

22.

Decreta Religionis ac morum ab hoc numero S. pontifice semel ab Ecclesia electo & recepto, etiam sine concilio generali, toti Ecclesiæ proposita sunt de fide. Inuincibilis ignorantia fidei adhuc hodie in multis datur. Infideles non amittunt ius antiquum in subditos ad fidem conuersos.

23.

Necessitate medijs singulis semper adultis peccatoribus fuit necessaria supernaturalis actualis explicita fides Dei, vt prouisoris ac remuneratoris, nunc etiam

post Evang. sufficienter promulgatum, Dei vt Trini & Incarnati. Fidem veram dissimulare licet, negare nunquam, nec falsam simulare. Arduitas obiecti non pertinet ad rationem formalem habitus spei.

24.

Caritas versatur circa Deum, vt vltimum finem Cui. Est vna specie infima erga Deum & proximum: augetur per quemlibet actum meritorium quantumuis remissum: imminui non potest: expellitur per peccatum mortale effectiue moraliter.

25.

Ex caritate mortem certam oppetere possumus pro vita corporali alterius; pro spiritali tenemur, si sit necessitas extrema, & spes iuandi certa. Correctio fraterna est aliquando adhibenda, etiam, in dubio an sit profutura, & omisso illius ob timorem aliquem mundanum prædominantem, non excusatur à peccato mortali.

26.

Propter scandalum, non Pharisaorum, sed infirmorum, quandoque bona tam temporalia, quam spiritalia sunt omittenda. Bona mobilia vi capta in bello iusto, quæ semel ab hostibus in tutum recepta fuere, ex probabili sententia, non sunt restituenda prioribus dominis.

27.

Iustitia propriè dicta rectè definitur ab Vlpiano I. C. constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi: continet sub se Iustitiam legalem: est inter Deum & hominem iustum, Christum & Deum. Iudicium temerarium, nisi firmum sit, non est mortale. Sententia lata iniusta ex parte rei iudicata, tam de Ecclesiasticis, quam temporalibus bonis, est inualida in conscientia.

28.

Damnum inconsulto cum sola culpa veniali, cæteroqui latissima illatum, ex probabili sententia, non est sub mortali compensandum illi, à quo id erat ex iniustitia auerendum. Contractus irritantur in foro Conscientiæ, non ob defectum solemnitatum Iuris, sed propter metum iniustum quantumuis leuem ab altero prouenientem, sine quo aliàs contractus non fuisset initus.

29.

Votum solenne est absoluta & perpetua traditio personæ vouentis ad obsequium Dei, per noui status assumptionem facta sub certa aliqua forma ab Ecclesia præscripta: non facit inhabilem ad Dominium, & matrimonium ex natura sua: non requiritur ad essentiam Religionis: est dispensabile ex causa, ab Ecclesia.

30.

Imagines sacræ verè adorantur vel eodem cultu cum prototypo actu à se representato; vel per se seorsim, tanquam signa rei sacræ, alio cultu inferiore.

## EX TERTIA PARTE.

31.

Vnio hypostatice totius Humanitatis cum substantia notionali Verbi, est præter vniones partiales animæ & corporis cum Verbo, quas ordine naturæ præsupponit, alia specialis ipsarū vnionum vnio, homine non peccante, non exitura, nulla ratione naturali euidenter probanda, aut improbanda, conuenientissimum medium ad condignè Deo satisfaciendum. Chri.

<sup>32.</sup>  
 Chriſtus, in quantum Homo, eſt filius Dei naturalis, ſoli Deo, adeoque ſibi  
 ut Deo ſubiectus, adorabilis Latria, & Hyperdulia; à primo conceptionis momen-  
 to habuit Excellentiae poteſtatem in omnes creaturas, non tamen habuit domi-  
 nium temporale mundi, aut alicuius regni: per omnes & ſingulos actus ſuos li-  
 beros, ex ſe ſimpliciter inſinitum valorem habentes, condignè & in rigore meruit  
 nobis gratiam, & gloriam.

<sup>33.</sup>  
 Sacramenta N. L. conſtant intrinſecè ex rebus & verbis moraliter ſaltem cõ-  
 iunctis: non perficiuntur ante abſolutam formam materialiter: ſunt inſtrumenta  
 ex opere operato, in ultimo inſtanti producentia Phyſicè gratiam habitua-  
 lem.

<sup>34.</sup>  
 Baptiſmus inſtitutus quoad materiam & formam, ante Chriſti paſſionem,  
 poteſt conferri eidem à pluribus totalibus, non partialibus miniſtris: inu-  
 alidè con-  
 fertur, niſi tres perſonae ſanctiſſimae Trinitatis diſtinctè ſub nominibus patris & filij  
 & ſpiritus ſancti, & eodem originis ordine ſeruato, exprimantur. Martyrium adultor-  
 um ex peculiari promiſſione Dei, confert gratiam, cum ſola Attritione ſuperna-  
 naturali, aut voluntate moriendi pro Chriſto.

<sup>35.</sup>  
 Euchariftia ſecundum ſuamque ſpeciem ſimul, vnum ſpecie inſima & nu-  
 mero ſacramentum, non eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, adultis tamen eſt  
 neceſſarium tam moraliter, ne in peccata, nimia dilatione labantur, quam neceſ-  
 ſitate præcepti diuini: nunquam licitè ex directa intentione, ſub una ſola ſpe-  
 cie conficitur, cum hoc ſecundum probabilio-  
 rem, præcepto diuino prohibeatur.

<sup>36.</sup>  
 Tranſubſtantiatio eſt actio ſacramentalis, qua per uerba conſecrationis tota  
 ſubſtantia panis conuertitur in totam ſubſtantiam Chriſti, ſpeciebus indiuiſibiliter  
 præſentem, cum omnibus corporis accidentibus & operationibus à loco localique  
 extenſione abſolutis.

<sup>37.</sup>  
 Contritio actus poenitentiae virtutis ſpecialis, eſſentialiter non eſt odium,  
 nec dolor, ſed eſt deſertatio h. e. fuga peccati præſentis, aut commiſſi, ut eſt offen-  
 ſa Dei ſuper omnia dilecti: non eſt de præcepto ſtatim habenda, commiſſo pecca-  
 to. Datur conſeſſio valida, & informis.

<sup>38.</sup>  
 In conſeſſione poſſunt omitti circumſtantiae purè aggrauantes, & qui-  
 buſdam caſibus, ipſa quoque peccata mortalia, ſi ſit u. g. ſigillum reuelandum &c.  
 Imo in caſu neceſſitatis, abſolutio poteſt dari ſolum attritionis ſignum ex hibenti.  
 Religioſus electus à priuilegiato, niſi ſit expoſitus à ſuperiore, abſoluit inu-  
 alidè.

<sup>39.</sup>  
 Sacramenti Matrimonij eſſentia, prout eſt in Fieri, conſiſtit in verbis ſeu ſig-  
 nis conſenſu mutuae traditionis, & acceptationis coniugalis exprimentibus, pro-  
 ut verò eſt in Faſto eſſe, in vinculo coniugali orto ex mutua traditione. eſt vnum  
 numero, in utroque coniuge.

<sup>40.</sup>  
 Matrimonium valide contrahitur per procuratorem, & per epistolam. Con-  
 ſummatum eſt omni modo indiſſolubile. Ratum dirimitur ſolenniù Religionis vo-  
 torum emiſſione, & S. pontificis rationabili diſpenſatione. Fuit verum matrimoni-  
 um inter S. Iosephum & Beatiffimam virginem M A R I A M.

Ad maiorem Dei ac Deiparæ gloriam.

*Diſputatio præſens ex partibus D. Thoma de prompta nec Vera fidei, nec bonis moribus  
 aduerſatur, ideoque lucem meretur.*

*Adam Gerick S. T. D. & Profeſſor, nunc collegij Theologici Decanus. &c.*